

tor 1. §. 1. ff. *Quorum bonorum*, & possessorem hereditatis petitionem t. s. ff. de *Possess. Hæred. petis.* Stryck *cit. dissert.* 9. cap. 3. §. 1. & seqq. Lauterb. ad *cit. tit. ff. de Bon. possess.* §. 14. Clariss. D. Franz ad *Inst. eod. num.* 17.

42 Qualiter verò transmittatur hereditas Prætoria; quâ ratione jus accrescendi locum habeat; & quomodo repudietur? Discurrunt Stryck d. l. §. 13. 14. & 17. Lauterb. §. 25. & 26. D. Franz *num.* 18.

43 Unicum circa Bonorum possessionem, quæ juxta *num.* 11. datur matri prægnanti post mortem mariti, ac teste Stryck *cit. l. cap.* 7.

§. 10. hodiernum est valde usitata, præsertim in bonis feudaliibus, notandum est, quòd, si per calumniam à matre, cùm falsò prægnantem se jactaret, petita fuerit, legitimum hæredem detur actio in factum ad id, quanti interest *l. un. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. ff. Simuliter ventris nomine in possessione calumnia causa &c.* Stryck in *usu mod. ib. §. 1.* sicut & alia tribuitur in factum contra mulierem, ad interesse, quando possessionem, in quam missa fuit, in alium dolò malò transiit. *l. hoc editio 1. §. 1. ff. Si ventris nomine &c.* Prior tamen actio annalis est. *d. l. un. §. 3.* posterior est perpetua *d. l. hoc editio 1. §. 4.*

## CAPUT III. De Successione Feudali.

Tertia & valde celebris species Successionis est Feudalis, quam ex ipso Feudalium Librorum fonte delibare lubet.

### SECTIO I. De Natura Successionis Feudalis.

#### SUMMARIUM.

1. Successio Feudalis olim nesciebatur. 2. Postea invaluit. 3. & seqq. Describitur, & explanatur. 6. & seqq. In Successione Feudali requiritur sexus masculinus. 8. Excluduntur femina. 9. & seqq. Ponuntur casus excepti. 12. Masculus semper præfertur femina. 13. & seqq. Femina, semel admissa, retinet Feudum. 15. & seqq. Semel exclusa secundum multos manet exclusa perpetuo. 19. & seqq. Secundum

alios post masculos semper admittitur. 24. & seqq. Assumitur posterior sententia, & restantur fundamenta prioris. 29. & seqq. Legitimi tantum vel naturales in Feudo non succedunt. 31. Etiam si sunt legitimi. 32. & seqq. Etiam per subsequens Matrimonium. 34. Sunt etiam exclusi à Feudo femineæ. 35. & seqq. Persona Ecclesiastica regulariter in Feudo non succedunt. 37. & seqq. Referuntur exceptiones.

#### §. I.

##### Quid sit Successio Feudalis?

1 Feudalis Successio sub initia constitutorum Feudorum non erat: potuit enim Feudum pro libito & arbitrio Domini directi, perinde ac precarium, revocari *tit. 1. §. 1. Feud. 1.* Postea capit Feudorum concessio ad annum coarctari *d. §. 1.* Deinceps ad vitam Vasalli Feuda sunt porrecta; post tempus ad filium devoluta; tandem ad omnes descendentes, & collaterales producta *d. tit. 1. §. 1. & 2.* Hornius *Furisp. feud.* cap. 15. §. 1.

Est igitur in Feudis hodie recepta Successio ab intestato, quæ describitur ad normam Successionis Civilis, quòd sit Jus succedendi in bo-

na Feudalia, à Jure Feudali immediatè delatum.

Dixi I. jus succedendi in bona Feudalia. Quæ, qualia sunt, & à quonam constituuntur, vel accipiuntur, dicitur alibi. Interim, sicut in Successione alodiali vel in capita vel in stirpes succeditur: sic etiam in Feudali, ut dicitur, in *secl. seqq.*

Dixi II. à Jure Feudali immediatè delatum. Cum enim de Feudis regulariter non liceat disponere, nec Successio testamentaria permittatur: ex providentia Juris Feudalis recepta est Successio ab intestato, sed, cum aliquo recessu à Jure Civili, velut mox patefecit.

#### §. II.

##### Utrum ad Successionem Feudalem admittantur masculi & feminae?

6 Successio Feudalis in hæredibus requiritur primò sexum masculinum. Textus va-

rii in *d. tit. 1. §. 3. tit. 8. §. ult. tit. 13. Feud. 1. tit. 11. tit. 36. §. 2. in fin. Feud. 2.* Ra-  
tio

tio est: tum quia Feudorum origo cepit à masculis, quibus in stipendium virtutis militaris Feuda primitus sunt concessa: tum quia Feudorum concessio respicit in Vasallo præprimis fidelitatem & assententiam in bello, tam auxiliò quam consiliò faciendam: tum quia Feudorum continuatio frequenter attendit conservationem familiarium, quæ per solos masculos habetur. Prænotabilis & Clariss. D. Collega, Franciscus Ignatius de Wolleren &c. in *Quæst. select. Salsburgens. quæst. 4. num.* 14. & seqq.

8 Arcetur igitur à Successione Feudali feminae, non tantum quoad suas personas, sed etiam quoad suos descendentes, licet masculi sint *tit. 11. Feud. 2.* partim quia, qui nepos est, non debet esse melioris conditionis, quam filia, ex qua descendit: partim quia, qui descendit ex femina, non propagat gentem & agnationem, ut potè non matris sed patris familie interest *l. familia 196. §. 1. ff. de V. S. Clariss. D. de Wolleren à quæst. n. 35. & seqq. Stryck de Success. ab int. dissert. 1. cap. 3. §. 2.*

9 Exorbitat I. Feudum feminum, tum propriè tale, & à femina primordialiter acquisitum *tit. 50. Feud. 2.* tum impropriè tale, quòd per exprellum pactum in investitura successio feminis est concessa *d. tit. 50. tit. 1. §. 3. Feud. 1.*

10 I. Feudum hereditarium, in quo, cùm extranei possint succedere, non secus, ac si alodium esset, feminae quoque, ex familia vocata descendentes, non debent esse fortunæ deterioris; cœnturque servitiorum obligatio tunc eadem remissa, ut per alium prælari valeant, sicuti contra Struv. *Furis feud. cap. 9. aphor. 8. n. 4.* tradunt Schrader de *Feud. p. 7. cap. 3. n. 1.* Rosenthal de *Feud. cap. 7. conclus. 41.*

11 *num.* 23. Stryck *cit. l. §. 5.* III. Feudum francum, id est, ab omni servitio liberum per textum in *tit. 104. in pr. Feud. 2.* Struv. *d. l. num.* 2. Vultejus de *Feud. lib. 1. cap. 9. n. 47.* Stryck *d. l. §. 7.* contradicente tamen Boerò de *Succ. Feud. cap. 3. q. 29.* quia videlicet in simili Feudo cessat unica tantum ratio, feminas excludens, puta obligatio ad servitia; altera verò, quæ consistit in favore & propagatione familiae, adhuc perdurat.

12 Tametsi verò in memoratis casibus feminae constet jus succedendi, non tamen admittitur, quamdiu masculus aliquis adest juxta textum in *tit. 17. tit. 30. & tit. 50. Feud. 2.* & si masculus ex femina descendens cum femina concurrat, is præfertur *d. tit. 17. & tit. 51. §. similiter 3. Feud. 2.* Struv. *cit. l. n. 5. Vult. d. cap. 9. n. 66. & seqq.*

13 Disceptatur autem I. an, si femina semel admissa fuerit ad Feudi Successionem, nato postea masculo teneatur id restituere?

Distinctio hic adhibet Sonsbeck apud Struv. *d. l. n. 3.* an femina sit investita prius, quam masculus ille prodierit in lucem; an postea. Priore casu feudi restitutionem asserit; 14 posteriore negat. Sed Hartmann. Pistor. *lib. 2. q. 35. n. 8.* & Struv. *d. l. sine distinctione Feudi restitutionem negant: eò quòd jus*

feminae per successionem in Feudo semel quæsitum nequeat auferri, non obstante, quòd necdum investita fuerit: siquidem ex prima investitura jus Successionis feminae jam delatum & acquisitum, non autem ex investitura succedanea primò acquirendum est.

Disceptatur II. an, si femina per successionem masculi femel exclusa sit, perpetuò maneat exclusa? Cum affirmantibus concludunt Gail. 2. *obs. 148. n. 1.* Schrader de *Feud. p. 7. cap. 4. n. 83.* Rosenthal de *Feud. cap. 7. conclus. 44.* Knichen de *patr. invest. p. 1. cap. 3. num.* 38. & seqq. Pachin. *lib. 7. contr. cap. 45.* Harpprecht ad *pr. Inst. de Hæred. quæ ab invest. num.* 196. qui posterior Author sequentia producit argumenta. I. est textus in *tit. 6. §. 1. Feud. 1.* ubi sic pronuntiatum est: masculo relicto, ulterius femina non admittitur; quæ dictio ulterius est adverbium temporis perpetuò exclusivum *arg. cap. cum accessisset 8. de Constitut.* II. textus in *d. tit. 6. ibi: & bis: 17. omnia casibus* (adeoque etiam in casu, quòd feminae extant; & de quo in §. anteced.) *Feudum amittitur, & ad dominum revertitur.* III. 18 est ratio multiplex: tum quòd feminae tantum in defectum masculorum admittantur; & sic, masculis succedentibus, non amplius vocentur: tum quia feminarum jus quoad Successionem feudalem, cùm sub conditione deficientium masculorum concedatur, sub contraria conditione expiret: tum quòd aliàs, qui semel à Successione fuit exclusus, perpetuò maneat exclusus *arg. l. si ponas 23. §. ult. ff. de booff. test. tum quòd cetera jura femel extincta, non amplius reviviscant, l. inter stipulantem 83. §. Sacram. ff. de V. O. tum quòd idem eveniat, quando femina per statutum propter masculos à Successione removetur: tum quòd unumquodque naturalis propensione libenter ad primævum statum regrediatur *l. in tantum 6. in pr. ff. de D. R.**

Cum negantibus sentiunt Vultejus *cit. l. 19. cap. 9. num.* 89. & seqq. Heigius *p. 1. quæst. 26.* Struv. *d. cap. 9. aphor. 8. n. 6.* Stryck *cit. diff. 1. cap. 3. §. 4.* Clariss. D. de Chlingenberg de *Feud. cap. 6. q. 7.* quorum opinio in locis, ubi contraria consuetudo non est recepta, suadet Rosenthal de *Feud. cap. 7. conclus. 44. n. 15.* ac pro illa, non minus ac altera, præjudicii ejusdam meminit. Textus est I. in *tit. 3. §. 2. Feud. 1.* ubi absolute dicitur, quòd in Feudo femineo succedat filia, filiis non extantibus. Ergo femel exclusi non censentur semper exclusi. II. in *tit. 17. Feud. 2.* ubi dicitur, non patere locum feminae in Successione Feudi, donec masculus superest; sicque datur intelligi, feminae locum patere, quoties masculi non extant: cùm adverbium donec non penitus removeat, sed tantum suspendat jus per *l. moribus 2. in princ. ff. de Puls. & pupill. substit. l. ambiguitatem 12. §. in autem Cod. de Ufruct.* III. in *tit. 18. Feud. 2.* ubi in casu, 22 quòd feminis in defectum masculorum deficientium jus Successionis est quæsitum, deficientibus masculis, indulgetur Successio,

ex ratione: quia acquirens sibi & suis hæreditibus profexisse censetur; quæ ratio stringit in omni Feudo foemineo, favetque foeminis contra Dominum directum. IV. quia ceteroquin eveniret, ut, si quis, habens filios & filias, Feudum pro descendibus utriusque sexus acquireret, filia nunquam succederet: utpote cum ab initio statim à filiis excluderent, ac, juxta contrariam explicationem, in æternum exclusæ persisterent. V. quia foeminarum exclusio nequam est absoluta, sed conditionata, & favore masculorum inducta. Cessante igitur hæc conditione per masculorum extinctionem, cessat exclusio: quemadmodum supra in p. 1. cap. 4. n. 46. de foeminarum exclusione ejusque cessatione dictum in fideicommissis.

24. Negantibus, quorum opinionem certò anteriorem & æquioris credit Mynsing *Cens. 5. obf. 74.* non nego subscriptionem meam; atque ad l. textum oppositum ex *tit. 6. §. 1. Feud. 1.* Resp. dictionem *ulterius* in presenti non absolute sed conditionatè capiendam, donec nempe masculus superest *arg. cit. tit. 17. Feud. 2.* fide enim verum est, foeminam, extantibus masculis, ulterius non admitti. Ad l. textum ex *d. tit. §. 2.* Resp. clausulam illam, de amissione & reditu Feudi ad dominum ad illam §. concordandam, & nequam ad §. 1.

## §. III.

## An Legitimi vel Naturales tantum in Feudo succedant?

25. Secunda qualitas Successionis Feudalis est, ut, qui succedere cupiunt, sint ex legitimo matrimonio naturaliter procreati. Nam, qui legitimi tantum sunt, id est, per adoptionem tales; sicut & qui naturales tantum, extra legitimum thorum sunt progeneri, non succedunt in Feudo per expressum textum in *tit. 26. §. 4. y. adoptivi, & y. naturales filii &c.*

26. Feud. 2. Ratio est: quia Jus Feudale præprimis in successibus respexit ad jura familiaris & participationem sanguinis, nec qualemcunque, sed puram & illimem, atque à macula natalium liberam, ne alienus & spurius furculus inferatur illustri familiaris, ad Successionem per investituram specialiter vocatæ per *tit. 1. §. 2. §. 4. Feud. 1. tit. 12. Feud. 2.* Clariss. D. de Wolleren in *selekt. Saib. d. q. 2. num. 43. & seqq.* Stryck de Success. ab *int. cit. diff. 1. cap. 3. §. 25. & seqq.*

27. Quodlibet liberi illegitimi fiant legitimi, nihilominus in *tit. 26. §. 4. y. naturales Feud. 2.* à Successione manent exclusi: quia legitimatio subsequens, cum tantum fictione Juris effectum legitimæ nativitatæ tribuat, auctoribus Juris Feudalis non videbatur sufficiens ad

## §. IV.

## An Clerici &amp; Religiosi succedant in Feudo?

28. Tertia qualitas Successionis Feudalis est, quod deferatur Laicis, non autem Cle-

& *princ.* porrigendam esse: neque enim amittitur Feudum, & redit ad Dominum, si vel masculi extant, vel Personæ Ecclesiasticæ sine sollemnitate de rebus suis aliquem infundent, de quibus casibus *d. §. 1. & princ.* loquuntur.

Ad rationem multiplicem in III. unica responsio, quom doctissimè suggestit Vultejus *cit. l. n. 90.* sufficit. Distinguentium enim inter actum successionis, & jus succedendi. Ab actu successionis excluditur foemina per existentiam masculi, & manet ab illa successione actuali, quæ deservit masculo, nunquam non exclusæ. A jure 27 succedendi, quod per investituram antehac est acquisitum, foemina non excluditur, sed retinet intactum, usque dum masculi, qui primatum in successione tenent, extinguantur: quemadmodum etiam agnati remotiores, tamen per existentiam proximiorum ab actuali successione removeantur, jus tamen succedendi non perdunt, sed servant, donec, cessantibus propinquioribus, in actum secundum egrediantur. Idque etiam confirmari potest ab instantia objecta de statuto, quod foeminae propter masculos à successione excluduntur: nam in illa quoque hypothesi verius & æquius est, progenie masculorum à medio sublata, foeminas admitti juxta *p. 1. cap. 4. cit. num. 46.*

## §. III.

purgandam contractæ maculæ veritatem. Et licet hæc constitutio Feudalis in communissima, praxi Cameræ firmatæ, quin & teste Mylero ab Ehrnbach *Gemlog. Princ. Imp. cap. 24. §. 2.* in omnibus ferè Europæ Regnis recepta sententia, non extendatur ad legitimatos per subsequens matrimonium: Juri tamen Feudali altera sententia longè conformior est, tum propter *cit.* textum, qui non distinguit, an legitimatio conferatur per subsequens matrimonium, vel per scriptum Principis: tum propter eandem utrobique rationem, quod præcedens macula ne quidem per matrimonium in rei veritate abstergetur. Vultejus de *Feud. cap. 9. num. 195.* D. Gletle *affert. Jur. 72.* D. Franz ad *tit. Inst. de Nupt. p. 3. num. ult.*

Illud etiam benignioris & præctice sententiæ defensores tradunt, naturales liberos à Successione Feudi, quod foemineum est, repelli ob generalitatem textus in *d. tit. y. naturales.* Struv. *d. cap. 9. aphor. 3. n. 7.* Stryck *d. l. §. 26.* tamen in alodialibus una cum legitimis hæreditibus ad foemineam Successionem admittantur *ex cap. 1. n. 43.*

## §. IV.

29. Clerici & Religiosi. Etsi enim, ut scribit Vultejus *cit. l. num. 126.* in hoc passu quæstio sit quæ-

quotidiana, & multum disputabilis, attamen in regula certum videtur, quod Clerici & Religiosi nequeant succedere per textum rotundos in *tit. 26. §. qui Clericus tit. 30. tit. 36. in 36m. Feud. 2.* Ratio datur in *tit. 21. eod.* quia desinit esse miles *Saculi, qui incipit esse miles Christi; nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.*

37. Casus excepti, & à plerisque recepti sunt I. si in prima Feudi constitutione, consuetudine, vel statuto sit cautum, ut Clericus vel Religiosus in Feudo succedat. II. quando Feudum est francum, nullave exigat servitia. III. quando servitia, quæ præstanda, perinde à persona Ecclesiastica, ac Sæculari, præstari valent. IV. quando servitia quidem militaria

sunt, sed Vasallo permittum est, deservire per substitutum. V. quando Feudum est foemineum, tum proprium, tum improprium. VI. quando Feudum est hæreditarium, nec pro agnatis tantum, sed etiam extraneis concessum. Rosenthal *d. conclus. 7. consil. 30. per tot.* Schrader de *Feud. p. 7. cap. 5. n. 30.* Vultejus de *Feud. d. cap. 9. n. 135.*

Hodiernis Germaniæ moribus personas illustres, ad Clericatum promotas, Successionis Feudalis esse capaces, à plerisque traditum, advertit Rosenthal *d. l. n. 8.* In specie Clericos; quos Canonicos appellamus, ad Successionem feudalem admitti, citatis aliis perhibet Clarissimus D. de Chlingensperg de *Feud. cap. 6. q. 18.*

## SECTIO II.

## De Ordine Successionis Feudalis.

## SUMMARIUM.

39. In Successione Feudali primus locus debetur descendibus. 40. In usufructum. 41. Possunt inter se facere divisionem Feudorum. 42. & seq. Nisi sint Regalia. 44. In quibus secundo & ulteriore loco genitis constituitur appanagium. 45. & seqq. Liberi ex matrimonio ad morganicam non succedunt in Feudo. 48. & seqq. Ascendentes regulariter non succedunt. 51. & seqq. Casus excepti subjunguntur. 57. Suc-

cedunt ergo regulariter collaterales. 58. Etsi quibus primi sunt fratres. 59. Eorumque liberi. 60. Sequuntur alii in gradu & linea proximiores. 61. Que proximitas ab ultimo possessore mensuratur. 62. In Feudo novo non succedunt collaterales. 63. Nulla regulariter est Successio Conjugalium. 64. Datur exceptio. 65. Alii ad Successionem admittuntur Fiscus.

## §. I.

## De Successione Descendentium.

39. Non minus in Successione Feudali quam alodiali servatur ordo, primusque locus assignatur liberis seu descendibus, qui, si primi sint gradus, seu filii, succedunt in capita; nec valet dispositio, quæ inæqualis inducit Successio. Sin ulterioris sint gradus, puta nepotes, pronepotes, abnepotes &c. succedunt in stirpes. Textus in *tit. 1. §. 1. tit. 8. in pr. Feud. 1. tit. 11. Feud. 2.* Quodve hæc Successio ad descendentes in infinitum extendatur, satis innuit *cit. tit. 1. §. 4. Feud. 1. & cit. tit. 11. Feud. 2.* & constat ex præmissis in *cap. 1. num. 72.* de Successione Civili, à qua Feudalis, ubi textus non extat in contrarium, recedere non creditur *arg. tit. 1. Feud. 2.* Clariss. D. de Wolleren *cit. l. num. 91. & 2. seqq.* Struv. *Syn. ag. Jur. Feud. l. xpe. cit. cap. 9. aphor. 5. num. 1. & seqq.* Stryck de Success. ab *int. d. differt. 1. cap. 3. §. 22.*

41. Stat tamen in arbitrio liberorum, an Feudum inter se dividere velint; vel etiam uni relinquere, qui reliquis aliâ ratione satisfaciatur; vel, si plura suppetant Feuda, ea sic distribuere, ut quilibet separatim unum possideat. Textus in *tit. 50. tit. 55. §. 1. y. præ-*

strum splendorem & dignitatem, nec non Imperii utilitatem, est prohibita in *tit. 55. §. 1. y. præterea.* Rosenthal de *Feud. cap. 9. conclus. 55. num. 1. & 2.* D. de Wolleren *d. l. num. 94. & seqq.* Quæ exceptio, licet à nonnullis apud Struv. *cit. l. n. 5.* sublata dicatur in Germaniâ; id tamen universaliter accipi nequit, dum præter Electoratus, in quibus juxta Aream Bullam *tit. 7. & 24.* primogenitura viget, in aliis quoque Principatibus, Ducatibus, & Comitatus non paucis eadem primogenitura fuit recepta, teste Stryck *d. l. §. 14.*

Utrve secundo & ulteriore loco geniti, cum integro titulo, insignia Principatus, & ipem futuræ successionis retineant, eminentiæ statûs condècenter possint vivere, debet Primogenitus illis certam portionem, quam vulgò appanagium appellant, assignare. Rosenthal *d. conclus. 55. num. 11.* Struv. *d. aphor. 5. n. 5.* Stryck *d. cap. 3. §. 15. & 2. seqq.*

Quæres: an liberi, nati ex matrimonio, ad morganicam contracto, eâ lege, ne succedant patri ab intestato, sed certâ quantitate pecuniæ sint contenti, succedant in Feudo? Resp. negativè. Textus expressus & momentosus in *tit. 29. Feud. 2.* Cui quidem obstat videtur textus non minoris ponderis

in tit. 26. §. 5. y. filii &c. Feud. 2. ibi: filii nati ex ea uxore, cum qua matrimonium tali conditione contractum est, ut filii ex ea nati, patri ab intestato succedant: in Feudo succedunt. Verum plerique, ut testatur Struv. d. l. num. 9. respondent, particulam negativam non omniam

esse: qui modus respondendi, licet aliis non careat audacia & temeritate, propterea videtur licitus, quod aliis subijuncta textui ratio: quod pactum exclusivum a Successione, quamvis ratione improbetur, ex resu tamen administratur, prolixus inepta foret.

§. II.

De Successione Ascendentium.

Secundus locus in Successione Civili tribuitur ascendentes; ac in Successione Feudali locum ascendentes regulariter non habent secundum aperta sancita Juris Feudalis in tit. 50. Feud. 2. Cujus ratio communiter redditur ex tit. 18. Feud. 2. quia hac Feudi natura est, ut primus acquirens sibi suisque posteris prospicere censetur. Rationem aliam suggerit Clariff. D. de Wolleren d. l. num. 98. quia, si Feudum sit antiquum, aliunde prius ad ascendentes quam descendentes pervenit; & si novum sit, ad Dominum directum, Vasallo sine liberis mortuo, revertitur.

Causis exceptis, & Imperiali Camerae præjudicio confirmatus est, quando pater aut alius ex ascendentibus Feudum in gratiam filii vel alterius ex descendentes renuntiavit: tunc enim, si filius v.g. moriatur, nec liberos post se relinquit, Feudum ad Patrem postliminio redit, non tam Jure Successionis, quam sublatæ causæ & conditionis, licet expressè talis conditio non fuerit apposta. Schrader de Feud. p. 7. cap. 6. num. 4. Vultej. de Feud. lib. 1. cap. 9. num. 206. Myning. cent. 3. obs. 93. Rosenthal de Feud. cap. 7. conclus. 14. num. 8.

Causa alii, atque à pluribus comprobati sunt I. quando Dominus filio concessit Feudum novum cum qualitate & jure Feudi antiqui: in hoc namque, cum fratres primi acquirunt filii admittantur, pater excludi nequit. Schrader d. cap. 6. num. 4. & 5. Rosenthal d. concl. 14. num. 70.

II. quando Feudum est merè hereditarium: cum enim heredes extranei tunc succedere possint, nulla prohibet ratio, quò minus pater succedat. Rosenthal d. l. num. 22.

III. quando filius in Feudo noviter acquisito fuit investitus, eà lege & pacto, ut pater succedat per textum in tit. 84. Feud. 2. Schrader d. cap. 6. num. 3. Vultej. d. cap. 9. num. 206. Stryck de Success. ab intest. differt. 7. cap. 2. §. 2. & 3. seqq.

An autem cum ascendentibus ad Feudi Successionem simul admittantur fratres defuncti Vasalli? Hæret subtilite, dum fratres ad normam dispositionis Civilis in Nov. 118. cap. 2. admittunt Schrader d. l. num. 10. Rosenthal d. l. num. ult. Econtra Struv. d. cap. 9. aphor. 16. 3. num. 3. & Stryck d. cap. 2. §. 7. ob textum in tit. 50. Feud. 2. qui plures lineas ad Successionem haud admittit, eos excludunt. Ego, cum casus hi rariores sint, judicium suspendo.

§. III.

De Successione Collateralium.

Tertius locus in allodialium Successione debetur collateralibus; sed, ut monitum in num. 48. in Successione Feudi secundum locum occupant: quoniam, si Feudum, ut supponitur, antiquum sit, descendunt ex primo acquirente, qui sibi & descendentes conferere voluisse præsumitur per tit. 18. Feud. 2.

Ex his autem, sicut gradu proximi, si portionem in Successione Feudi sunt fratres per textum in tit. 1. §. 2. Feud. 1. & tit. 11. Feud. 2. Inter quos tamen non est facienda distinctio, sintne germani vel consanguinei: cum enim consanguinei non secus ac germani descendant à primo acquirente, participant idem nomen eademque insignia, nec duplicitas vinculi per eandem matrem contracta, ut nec cognatio, in Feudis attendatur: hinc germanis æquiparati censentur arg. cit. tit. 11. §. his vero deficientibus Feud. 2. Gail. 2. obs. 151. n. 1. Rosenthal de Feud. cap. 7. conclus. 57. num. 1. Schrader p. 7. cap. 7. num. 14.

Admittuntur quoque cum fratribus fratrum prædefunctorum liberi cit. tit. 11. Feud. 2. & quidem, si cum fratribus concurrant, insurpes; sin verò soli sint, in capita, arg. co-

rum, quæ de Successione Civili, à qua Feudalis hoc in passu declinasse non reperitur, in cap. 1. à num. 86. statuta sunt. Clariff. D. de Wolleren sæpe cit. q. 4. num. 104. & seqq. ubi præjudicium Camerae refert ex Myningero cent. 3. obs. 84. in fin.

Post fratres eorumque filios æqualiter ad Feudum admittuntur agnati cæteri, in linea & gradu defuncto Vasallo propinquius conjuncti; eaque Successio porrigitur in infinitum juxta tit. 31. & tit. 50. Feud. 2. D. de Wolleren d. l. num. 108. & seq.

Ex quo posteriore textu, junctis etiam textibus in tit. 11. & tit. 37. Feud. 2. patet, sinceritatem & Juri Feudali propinquiore esse sententiam, quæ proximitatem gradus & lineæ non mensurat à primo Feudi acquirente (sic enim nec ultimi Vasalli liberi, nec fratres, nec alii collateralis, eandem cum ipso lineam tenentes, primas in Successione haberent) sed ab ultimo possessore seu Vasallo; eamque cum multis aliis propugnant Schrader d. p. 7. cap. 7. num. 19. Rosenthal cap. 7. conclus. 57. num. 10. Vultejus de Feud. d. cap. 9. num. 112. Acquire in consulti. Besoldi p. 1. Aphor. num. 6. Del

Del Castillo quot. Juris contro. lib. 3. cap. 19. §. num. 140. Struv. de Feud. d. cap. 9. aphor. 7. Clariff. D. de Chlingenberg de Feud. cap. 6. quest. 16.

Ita nihilominus & alia sunt intelligenda de Feudo antiquo: nam Feudum, noviter à

Vasallo acquisitum, non devolvitur ad fratres, aut reliquos collaterales, sed, si Vasallus sine liberis decedat, ad Dominum Directum revertitur tit. 1. §. 2. Feud. 1. tit. 11. & 12. Feud. 2. Stryck de Success. ab intest. differt. 3. cap. 2. §. 2.

§. IV.

De Successione Conjugum & Fisci.

Successio Conjugum in Feudo regulariter est nulla ex tit. 19. Feud. 1. & tit. 13. Feud. 2. quoniam ex sanguine primi acquirentis non ducunt originem. Unde, licet matrimonium fuerit indotatum, & uxor superficies inops, at tamen ex Feudo nihil eidem acquiratur: cum ex dispositione Juris Feudalis ad liberos vel agnatos devolvatur. Rosenthal de Feud. cap. 7. concl. 60. num. 8.

Excipitur I. Feudum hereditarium, in quo, cum extranei succedant, conjuges etiam succedere non prohibentur. Rosenthal d. l. num. 10. II. si Successio per speciale pactum,

consuetudinem, aut statutum conjugibus fuerit reservata. Stryck de Success. ab intest. differt. 4. cap. 2. §. 6, 6, & 7.

Minus in Feudo conceditur jus succedendi Fiscis, nisi Dominus Directus simul habeat jus Fisci, vel omnes agnati unà cum Domino Directo obierint: siquidem, ubi deficient heredes Feudales, Feudum redit ad Dominum, & cum dominio directo consolidatur tit. 14. §. 2. Feud. 1. & tit. 12. Feud. 2. Stryck cit. l. differt. 5. cap. 2. §. 2. & 3. ubi etiam aliquot exceptiones videri possunt. Revideantur dicta in tract. præced. cap. 2. num. 557.

SECTIO III.

De Effectu Successionis Feudalis.

SUMMARI.

66. Effectus Successionis Feudalis notatur. 67. & seqq. Filius non potest hereditatem patris repudiare, & Feudum acceptare; bene verò agnatus. 71. Filius tenetur solvere debita patris. 72. Agnatus non tenetur. 73. Nisi sit Feudum hereditarium.

74. Aut debitis Feudale. 75. & seqq. Possessio Feudi non transiit Vasallum sine apprehensione. 77. & seqq. Subveniantur remedia Vasallorum hereditum. 80. & seqq. Ponuntur impedimenta.

§. I.

Quid juris conferat Successio Feudalis?

Successio Feudalis id juris operatur, quod originaria Feudi acquisitio: qui enim mediante Successione Feudo potitur, acquirit omnia jura, quæ habuit antecessor in Feudo, id est, quæ Feudo ex prima investitura vel succedente tempore sunt connexa, de quibus alia vice.

Quæritur autem, an hæres Feudalis possit ultimi Vasalli hereditatem repudiare, & tamen in Feudo succedere?

Secundum communem sententiam (verba sunt Struvii Synagmat. Jur. Feud. cap. 9. aphor. 11. num. 1.) tam filius quam agnatus repudiare potest hereditatem, ac in Feudo ex pacto & providentia succedere, ut videre licet apud Rosenthal de Feud. cap. 7. concl. 20. & 21. Gail. 2. observ. 128. num. ult. Myning. 3. observ. 67. & 4. observ. 2.

Sed, nisi deflectere velimus à dilucida Juris Feudalis ordinatione, oportet distinguere inter filium & agnatum. Filius nequit, Feudum retento, paternam hereditatem repudiare; agnatus potest. Textus evidens in tit. 45. & tit. 51. §. 5.

Feud. 2. Vultejus de Feud. lib. 1. cap. 9. n. 2; 8. Struv. cit. l. num. 2. Stryck de Success. ab intest. differt. 3. cap. 2. §. 16. Clariff. D. de Chlingenberg de Feud. cap. 6. q. 17. Ratio disparitatis est: quia filius quoad acquisitionem Feudi majorem obligationem habet erga parentem, quam agnatus: cum id consequatur mediante patre, ac omnes cæteros agnatos excludat. Unde dignum & æquum credebatur, filium, non item agnatum, obstringere, ne separet hereditatem à Feudo, sed Feudum unà cum hereditate acceptet.

Non equidem ignoro, textus in num. 68. 70. citatos, ab Authoribus contradicentibus de Feudo hereditario explicari. Sed, qui textus cominus intuetur, videbit, hanc explanationem esse contentiam: nam, si Feudum hereditarium esset, distinguere non posset inter agnatum & filium, sed uterque Feudum unà cum hereditate, cujus est pars, acceptare deberet. arg. l. qui totam 1. cum l. seq. ff. de Acquir. vel amittend. hereditat. §.

§. II.

Quisnam debita Feudalia solvere teneatur?

**72** EX decisione præcedentis quæstionis sequitur decisio præsentis. Vel enim successor Feudi est filius, vel agnatus. Filius tenetur debita, à patre contracta, expungere: cum non possit hæreditatem & illius onera, quale est exolutio æris alieni, à Feudo dividere ex num. 68. sic tamen, ut & filia, cæterique successores in allodio pro rata teneantur concurrere. Stryck de Success. ab intest. dissol. 3. cap. 2. §. 17. Agnatus collateralis debita antecessoris solvere non tenetur: cum ex d. num. 68. hæreditatem unâ cum onere conexo repudiare, solumque Feudum retinere valeat. Vult. d. cap. 9. num. 239. Stryck cir. l. Clariss. D. de Chlingenp. de Feud. cap. 12. §. 4.

Excipiuntur I. Feuda hæreditaria, in quibus, cum pars hæreditatis allodialis esse censentur, ac liberam recipient dispositionem. Vafalli arg. cir. 48. Feud. 2. non secus ac in bonis allodialibus omne commodum & incommodum ad hæredem transit. Schrader de Feud. p. 7. cap. 7. num. 32. & seq. Berlich p. 2. conclus. 55. num. 19. Struv. Syntag. Jur. Feud. cap. 14. aphor. 2. num. 1. Excipiuntur II. debita Feudalia, quæ vel initio sunt imposita Feudo, vel postmodum intuitu Feudi cum necessitate vel utilitate contracta. Struv. d. l. aphor. 3. Stryck d. §. 17. Chlingenp. d. g. 4. Hornius Jurisprud. Feud. cap. 21. §. 4.

§. III.

Quanam remedia competant hæredibus Feudalibus?

**75** Quando per Successionem Feudum ab uno transferitur in alium, à patre in filium, à filio in agnatum &c. nonnullis visum est, possessionem ipsò jure ad hæredem Feudalem, citra factum hominis transire, velut perhibet Rosenthal de Feud. cap. 7. concl. 17. Sed quia non invenire potui fundamentum hujus doctrinæ, cum tamen alias possessio defuncti, quæ magis in facta, quam jure consistit, non transeat in hæredem, absque illius apprehensione: ideò cum eodem Rosenthal, Shtadero p. 7. cap. 7. num. 21. & pluribus, ibidem citatis, existimo, possessionem Feudi non transire in Vafallum successorem, antequàm apprehendat; & consequenter nec interdictionem uti possidetis, nec recuperandæ possessionis eidem competere.

Ubi autem agnovit Successionem Feudi, 77 crederem, utile dominium mox in Vafallum successorem transferri arg. eorum, quæ de hæreditate & legato in p. 1. cap. 1. num. 424. & 468. scripta sunt, & apud Rosenthal in not. ad cir. concl. l. d. habentur. Ad possessionem verò petendam, si quis alius sit in possessione Feudi, sive remotior agnatus, sive Dominus, poterit Vafallus successor movere rei vindicationem, si Feudum habeat sine hæreditate, arg. cir. 8. in princ. & rei autem Feud. 2. Vult. de Feud. lib. 2. cap. 1. num. 18. Sin79 Feudum cum hæreditate sit conjunctum, poterit ab eo, qui pro hærede vel possessore possidet, petitione hæreditatis avocari: utpote cum Feudum tunc pars hæreditatis esse censetur per ea, quæ tradit cit. Vult lib. 1. cap. 9. n. 238. & seqq. & constat ex præcedentibus.

§. IV.

Quanam impediatur Successionem Feudalem?

**80** Successioni Feudali contraria sunt, eamque impediunt, quæcunque faciunt, ne quis allodiali Successione perfruat. Stryck de Success. ab intest. dissert. 12. cap. 5. §. 2. Specialiter autem Successioni Feudali refragatur inhabilitas ad servitia feudalia, quæ provenit ex vitio & defectu animi, vel corporis v. g. ex amentia, furore, cæcitate, furditate &c. cir. 6. §. 2. Feud. 1. cir. 86. Feud. 2. in quo postero-

re textu sententiam posteriorem, ceu dispositioni & rationi Juris Feudalis magis consentaneam, recipiendam iudat Struv. Syntag. Jur. Feud. cap. 9. aphor. 10. num. 4. Addantur Rosenthal de Feud. cap. 7. concl. 8. num. 1. & seqq. Vultejus de Feud. lib. 1. cap. 9. num. 113. & seqq. Jungatur Stryck d. l. §. 3. & seqq. ubi peculiariter Successionis Feudalis obstacula proponit.



CAPUT

CAPUT IV.

De Successione Statutaria, & Partitiâ.

**U**ltima Successionis ab intestato species est Statutaria, cui Partitiâ, ceu fructuentem in foro, & fundatam in Jure Canonico, pro coronide subnecto.

SECTIO I.

De Successione Statutaria.

SUMMARI A.

1. Describitur Successio Statutaria.
2. Ejus origo.
3. & seqq. Exempla quoad descendentes.
6. & 7. Ascendentes.
8. Collaterales.
9. Conjuges.
10. & seq. Quoad bona immobilia servantur Statuta loci, in quo sita sunt.
12. Quoad mobilia Statuta domicili.
13. Nisi perpetuo sint destinata ad locum.
14. & seq. Indi-

catur, quid de nominibus & actionibus sit dicendum. 16. Si quis moriatur extra domicilium, non attenduntur Statuta loci obitus. 17. Adducitur instantia de solemnitate testamenti. 18. & seq. Solvitur instantia. 20. & seq. Officialis Principum non subsumit Statuta civitatum, in quibus morantur.

§. I.

Quid, & quàm varia sit Successio Statutaria?

1. Successio Statutaria nomen & effectum sumit à Statutis locorum, & nihil aliud est, quàm jus & facultas capiendi hæreditatem, ex specialibus locorum Statutis immediate delatum. Posteaquam enim Principibus & Statibus Imperii unâ cum Superioritate Territoriali potestas abrogandi Jus Commune, & condendi peculiaria Statuta fuit indulta, multis in provinciis & territoriis Jus Commune quoad Successionem ab intestato mutatum, & alteratum est. Et hinc
2. I. Quoad descendentes alicubi sit distinctio inter filios & filias, ac filii capiunt utensilia patris, & filia utensilia matris. Stryck de Success. ab intest. dissert. 1. cap. 4. §. 9. & seqq. Alii filii & filia succedunt inæqualiter, debentque filia, constituta dote vel aliâ portione, hæreditati residua renuntiare, ut patet ex Statuto Perillultris Ordinis Equestris in Suevia, Franconia, & Tractu Rhenano, quod refert, & Responsò Facultatis suæ illustrat Harprecht de Success. Acad. tract. 7. à pag. 96. In multis etiam locis introducta est unio prolium, quâ liberi, ex diverso matrimonio geniti, inter se uniantur & parificantur in ordine ad æqualem Successionem in bona parentum

utriusque matrimonii, de qua Gail. 2. obs. 125. Wehner observat. præf. verb. Ein Kindschafft. Stryck cir. l. dissert. 8. cap. 6. per tot.

II. Quoad ascendentes Jure Lubecensi statutum est, ut, si filius defunctus à parentibus fuerit separatus, in Successione fratres ascendentes præferantur. Stryck d. l. dissert. 2. cap. 3. §. 7. & seqq. In Austria, teste Magnif. D.P. König ad tit. de Success. ab intest. n. 13. receptum est, ut ascendentes à descendenti Successione penitus arceantur.

III. Quoad collaterales Jure Saxonicò non datur fratribus germanis concursus cum parentibus in Successione fratris; ut nec fratrum filiis, dum fratres alii vivunt, jus representationis, & radicatum in eo jus simultaneum succedendi conceditur. Stryck dissert. 3. cap. 3. §. 1. & seqq.

IV. Quoad Successionem Conjugum in nonnullis locis observatur, ut, mortuò conjugè, tota hæreditas conjugii superstiti quoad usufructum cedat, liberis primi matrimonii proprietate tantum reservata: in aliis verò districtibus conjugii superstiti debetur portio legitima, de qua latè Stryck dissert. 4. cap. 3. per tot.

§. II.

Cujusnam loci Statuta in Successione Statutaria sint observanda?

10. IN Successione Statutaria quandoque dubitatur, qualia Statuta sint attendenda: an illius loci, in quo defunctus habuit domicilium; an verò illius loci, in quo bona hæreditaria sunt sita? Ubi distinguendum videtur inter bona immobilia, & mobilia. Quo-11 ad Successionem in bonis immobilibus, respicienda sunt Statuta loci, in quo bona existunt.

Ppppp